



Ioannes apud Belgas Beckanus est natus et edu-
 catus. Is post prima artium & linguarum præce-
 pta cognita, Philosophiæ & Medicinæ operam da-
 re cœpit, & in ijs adeò profecit, ut suprema Docto-
 rum insignia sibi compararet. Itaq; eam artem exer-
 cuit, atque magna dexteritate usus omnibus inno-
 tuit. Id cum Maria regina, quæ cum Imperio Belgis
 præerat, 1550 cognouisset, eum ad se uocauit, atq; à
 Medicinis esse iussit. quam quidem functionem Io-
 hannes magna laude administrauit. quin etiam ani-
 mum ad scribendum adiecit, & ut posteritati pro-
 desset, de re Medica aliquot libros cōposuit. In eo
 genere uitæ etiam nū perguit, & Antuerpiæ degens
 ob præclaram eruditionem ab omnibus doctis celebratur. Anon.